RELATIO DIOECESANA

AD S. APOSTOLICAM SEDEM

CONFECTA

AB ORDINARIO KAUNENSI

ANNO D-NI 1933

R E L A T I O D I O E C E S A N A

AD S.APOSTOLICAM SEDEM

confecta

AB ORDINARIO KAUNENSI

anno D-ni 1933.

RELATIO DIOECESANA.

AD S. APOSTOLICAM SEDEM

confecta

AB ORDINARIO KAUNENSI

anno D-ni 1933.

(Quae relatio sequitur primam anno D-ni 1928 confectam; proinde in ea haud pauca, quae immutata manserunt, omittuntur).

CAPUT I.

Generalis de statu materiali personarum et locorum.

1. Ordinarius loci Archidioecesis Kaunensis est Ioseph Skvireckas, Archiepiscopus et Metropolita Kaunensis. Archidioecesis regimen suscepit die 13 maii 1926 an.

2. Ut in relatione praecedenti.

3. d) Numerus sacerdotum saecularium est 259 . In Seminario Metropolitano habentur 222 alumni, quorum plerique utpote oriundi e dioecesibus Panevėžensi et Kaišedorensi, studiis absolutis, ad Clerum harum dioecesium pertinebunt.

f) Archidioecesis divisa est in decem decanatus seu vicariatus forenses. Ecclesiae paroeciales habentur 88. Praeter dictas ecclesias paroeciales dantur 29 ecclesiae filiales, apud quas sunt vicarii pro parte vulgo filialistae vel curati. Sunt praeterea 17 ecclesiae seu oratoria publica, apud quas habentur rectores.

g) Religiones virorum in archidioecesi sunt: 1) Ordinis Fratrum Minorum duae Residentiae Kaunae cum 3 sacerdotibus; 2) Societatis Jesu Collegium Kaunae cum 6 sacerdotibus et Domus probationis in loco Pagryžuvis cum 3 sacerdotibus; 3) Ordinis S. Dominici Praedicatorum Domus non prioralis in oppido Raseiniai cum 3 sacerdotibus; 4) Congregationis Clericorum Regularium Marianorum Domus Kaunensis cum 7 sacerdotibus et Domus filialis Ukmergensis cum 1 sacerdote.

h) Religiones mulierum in archidioecesi habentur: 1) Monasterium

Monialium Ordinis S.Benedicti Kaunae cum 11 professis sororibus; 2) Duae domus religiosae Congregationis sororum S.Casimiri (Kaunae et in Pažaislis) cum 46 professis sororibus; 3) domus religiosa Congregationis sororum S.Catharinae V.M. in Krakės et eiusdem residentiae in Ukmergė, Karmėlavae et Kaunae cum 25 professis sororibus; 4) domus principalis Kaunae et domus filialis in Šiauliai Congregationis sororum Ancillarum SS.Cordis Jesu cum 47 professis sororibus; 5) domus filialis Kaunensis Congregationis Sororum Pauperum Immaculatae Conceptionis B.M.V. cum 6 professis sororibus; 6) domus filialis Kaunensis Congregationis Sororum Franciscanarum a divino Corde Jesu cum 4 professis sororibus; 7) residentia Kaunensis Congregationis sororum S.Elisabeth cum 6 professis sororibus.

Adsunt praeterea tres Congregationes absconditae: Institutum Ancillarum S.Cordis Jesu, Famularum B.M.Immaculatae et Filiarum Purissimi Cordis Mariae.

C A P U T II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.

4. Secundum Concordatum (art.XXII) et leges civiles omnes personae iuridicae ecclesiasticae et religiosae habent ius proprietatis in omnia bona quae nunc possident omnemque necessariam libertatem in horum bonorum administrationem secundum leges divinas et ius canonicum (art.I). Quae tamen bona tributis solvendis et oneribus publici ferendis sunt obnoxia ad normam legis communis (art.XVI) ita ut reditus ex bonis ecclesiasticis vix aut ne vix sufficiant ad honestam Cleri sustentationem.

5) Ad ordinandum universarum bonorum ecclesiasticorum negotium penes Curiam habetur Consilium Administrationis, cuius praeses est ipse Ordinarius loci. Consiliarii autem sunt: Praelatus C.Šaulys, Canonicus F.Penkauskas et Can.I.Byla. In administrativis actibus maioris momenti Ordinarius hoc Consilum Administrationis audire non

praetermittit, ad normam canonis 1520.

6 - 15. Ut in relatione praecedenti.

CAPUT III.

De fide et cultu divino.

16. Errores contra fidem inter fideles Archdioecesis non serpunt. Haud pauci praesertim cultiores indifferentismo religioso laborant. Sunt qui dicunt se esse socialistas vel clam etiam bolschevistas. Modernismi, theosophismi, spiritismi erroribus nec laici neque aliqui ex clero infecti sunt.

Consilium a vigilantia, constans 7 sacerdotibus, habetur et eius membris, praeter officium invigilandi in ephemerides quae neutrae dicuntur, committuntur examinanda opuscula suspecta de erroribus contra fidem aut mores.

Professio fidei cum iuramento antimodernistico exigitur et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestatur.

17. Exercitia cultus divini gaudent plena libertate.

18. Omnia coemeteria sunt Ecclesiae proprietas et canonicae de his leges servari possunt servanturque.

19. In cultu divino, in Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione, nec non in sacris functionibus, sive quoad ritus sive quoad linguam et cantum, leges canonicae et liturgicae servantur.

Nonnullae singulares consuetudines sunt propriae non solum omnibus Ecclesiis Lituaniae, sed etiam regionum adiacentium: Poloniae et Lettoniae. Quae consuetudines approbatae sunt a S.Rituum Congregatione in "Rituali Romano ecclesiis Poloniae accomodato". Usus huius Ritualis permissus est ab eadem S.Congregatione Rescripto diei 22 octobris 1929 an. etiam ecclesiis Lituaniae.

In ecclesiis picturae, statuae aliaque a sanctitate loci aliena vel

liturgicis rebus minus consona non adsunt.

Profani conventus vel nundinae in ecclesiis non fiunt.

20. Numerus ecclesiarum in singulis oppidis et paroeciis fidelium necessitati est fere sufficiens. Kaunae ultimo lustro duae novae ecclesiae erectae sunt, tertia vero aedificatur.

21. Ecclesiae generatim sunt satis mundae, decenter ornatae et supellectili sufficienter provisae. Solummodo ecclesiae recenter erectae ob temporum difficultatem vix stricte necessaria supellectili providentur.

Ecclesiae: archicathedralis Kaunae, Pažaislensis, Šiluvensis, Šiaulensis, Joniškensis, Tytuvėnensis eminent sua arte et pulchritudine, eaedemque sunt insigniores abundantiore supellectili et paramentis, de quibus omnibus debita cura adhibetur.

22. Ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, est omnibus prorsus absolute semperque gratuitus.

23. Ne furtis et profanationibus obnoxiae sint, ecclesiae rite custodiuntur. Ecclesiae in quibus Sanctissimum asservatur, praesertim paroeciales, cotidie per aliquot horas fidelibus patent.

Cann.1267 et 1268 circa custodiam SS.Sacramenti in uno tantum loco et altari et circa decorem et ornamentum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum, can.1271 circa lumen perpetuum coram Sanctissimo observantur.

C A P U T IV.

De iis quae ad Ordinarium pertinent.

24. Ordinarius Kaunensis fruitur reditibus: 1. ex bonis immobilibus quae nunc constant: a) praedio 45 ha, b) duobus lacubus, c)domo lignea in loco antiquae sedis episcopalis in Varniai (qui reditus hoc tempore fere nulli sunt et propter solvenda tributa et onera publica ferenda ad nihilum reducuntur); 2. ex publico aerario percipi-

tur annua pensio et pro sustentatione domus, demptis tributis, in totum fere 23.000 litorum summa (circa 43.000 libell.ital.). Qui reditus vix sufficientes sunt ad honestam sustentationem.

Domus archiepiscopalis Kaunae est muro latericio constructa, constans duabus conâignationibus, quarum superiorem inhabitat Archiepiscopus cum famulo. In inferiore contignatione invenitur cancellaria Archiepiscopi cum cubiculis pro secretario. Ibidem sunt cubiculi pro ostiario et culina cum famulatu.

Cathedraticum solvitur ad libitum.

Ab omnibus sacerdotibus visitationi decanorum vel vicariorum foraneorum obnoxiis solvitur inde a multis annis praestatio specialis pro Seminario in annua quantitate 50 litorum.

Archiepiscopus sive qua Ordinarius, sive qua persona privata aere alieno non est gravatus.

25 - 28. Ut in relatione praecedenti.

29. In ultimo quinquennio, praeter alios ordines minores vel maiores, ad presbyteratum promovi 60 diaconâs archidoecesis Kaunensis. Praeterea Kaunae ordines suscipiunt cum licentia suorum Ordinariorum fere omnes clerici dioecesium Panevėžensis et Kaišedorensis, Ordinis Fratrum Minorum et Congregationis Clericorum Regularium Marianorum. Leges de non promovendis a) qui necessarii sunt vel utiles (can.969), b) qui integrum 4 annorum cursum theologicum non peregerunt (can. 972, § 1) observantur.

Numerus ordinatorum necessitati Archidioecesis fuit usque ad annum 1931 impar; inde ab an.1931 videtur iam esse suffâciens.

Ultimo lustro duo sacerdotes ex dioecesi Telšensi et unus ex archidioecesi Rigensi incardinati sunt in archidioecesi Kaunensi et duo sacerdotes dimissi sunt in perpetuum in dioecesim Telšensem et unus in dioecesim Kaišedorensem.

30. In concedenda facultate confessiones sacramentales audiendi regulae cann.877 et seq., pariter can.893 seq.circa casus reservatos

servatae sunt.

31. Circa sacram praedicationem consultum est iuxta Const. S.P. Benedicti XV et normas a S.Congregatione Consistoriali datas die 28 iunii 1917; praescripta can.1340 seqq.circa licentiam concedendam et can.1347 circa modum et argumentum concionandi observantur.

32. Nuptiae fidelium cum infidelibus vel impiis non occurrunt; fidelium vero cum acatholicis protestantibus et schismaticis graeco-orientalis confessionis russicae initae sunt coram ministro catholico cum debita dispensatione, servatis condicionibus ab Ecclesia praescriptis et normis Supremae S.Congregationis S.Officii die 14 ianuarii 1932 an.

Casus matrimoniorum mixtorum, contractorum coram ministro acatholico sunt rarissimi.

33. In ultimo quinquennio omnes ecclesias archidioecesis ipse visitavi iuxta canones 343,346. Praeter loca et res, libros et archiva, visitavi quoque personas clericorum, uniuscuiusque vitam confessionisque frequentiam cognoscendo.

In visitatione penes ecclesias legata nulla inveni. Quoad missarum manualium satisfactionem et stipem abusus nullos reperi.

34. In proposito habui synodum dioecesanam iam an.1930,sed propter varias difficultates et novitatem rei in hac regione vix hox anno celebratio synodi indicta est, commissiones praeparatoriae nominatae sunt et labores suos iam ad finem deducunt, ita ut ipsa synodus celebrari, Deo adiuvante, poterit mense februario proximi 1934 an.

35. Consilium Provinciale hucusque haberi nondum potuit.Conferentiae Episcoporum ordinariae convocatae erant semel singulis annis mense octobre.Fuerunt praeterea aliquot Conferentiae extraordinariae, in quibus etiam variae quaestiones circa exortas difficultates inter Gubernium civile et Ecclesiam examini subiectae erant.Intererant semper omnes Episcopi huius Provinciae ecclesiasticae.Quamdiu fuit Kaunae Nuntius Apostolicus, et ipse in his Conferentiis praesens erat.

36.Relationes cum Gubernio Reipublicae difficiliores factae sunt exortis difficultatibus circa Concordati applicationem.At relationes cum auctoritate civili locali sat rectae sunt.Episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta servari potest;servilitate erga humanas potestates vel alio modo detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae aut dedecus statui ecclesiastico non obvenit.

CAPUT V.

De Curia archidioecesana.

37.Curia archidioecesana habet aedes proprias,tamen non omnino sufficientes et convenientes,praesertim pro archivo dioecesano servando. Huic defectui praesenti tempore consuli nequit.

Prospectus officialium Curiae archidioecesanae:

1.Vicarius Generalis,Casimirus-Stephanus Šaulys,Praelatus Domesticus Suae Sanctitatis,Praelatus Capituli metropolitani.

2.Officialis,Praelatus Paulus Januševičius,M.T.

3.Vice-Officialis,presb.Iosephus Liasauskis,Dr.T.

4.Promotor Iustitiae,presb.Petrus Malakauskis,Dr.Iur.

5.Defensor vinculi,presb.Petrus Malakauskis,Dr.Iur.

6.Cancellarius,Iosephus Byla,Can.Capit.metropolitani.

7.Vice-Cancellarius.

8.Secretarius Archiepiscopi,presb.Stanislaus Ūsoris,Dr.Ph.

9.I.Notarius f.m.,presb.Georgius Šimkus,Dr.T.

10.II.Notarius,presb.Miecislaus Sandanevičius,Lic.Iuris.

11.Iurisconsultor pro causis civ.Dr.Iur.F.V.Raulinaitis,advoc.

12.III.Notarius

13.Archivarius,presb.Petrus Veblauskas.

14.Actuarius in Tribunali metropol.v.g.presb. Miecislaus Sandanevičius,Lic. Iur.

15.Registrator Kazlauskas Gabriel.

16.Calculator.

17.I.Scriba Tribunalis.

18.II.Scriba Matulevičius Ladislaus.

19.III.Scriba Jankūnas Stanislaus.

20.Cursor f.m.Jonaitis Iosephus.

21.Apparitor.

Tribunal Ordinarium primae Instantiae
(constitutum die 7 decembr.1918).

Officialis,Praelatus Paulus Januševičius,M.T.

Vice-Officialis,Iosephus Liasauskis,Dr.T.

Promotor iustitiae,presb.Petrus Malakauskis,Dr.Iur.

Defensor vinculi,presb.Petrus Malakauskis,Dr.Iur.

Notarius,presb.Miecislaus Sandanavičius,Lic.Iur.

Tribunal Ordinarium secundae Instantiae
Archidioecesis Kaunensis.

Iuxta can.1594,§ 2,designavi pro appellatione in secunda instantia Tribunal Ordinarii Vilkaviškensis.Quam designationem SS-mus D.N.benigne approbavit per rescriptum S.C.Consistorialis die 4 iunii 1926.

Iudices pro-synodales.

1.Praelatus Alexander Dambrauskas,M.T.

2.Praelatus Paulus Januševičius,M.T.

3.Canonicus Franciscus Penkauskas,M.T.

4.Canonicus Stanislaus Jokūbauskis,C.T.

5.Canonicus Paulus Dogelis.

6.Canonicus Iosephus Byla.

7.Presb.Petrus Malakauskis,Dr.I.

8.Presb.Marcus Morkelis,M.T.

9.Presb.Iosephus Meškauskas,M.T.

10.Presb.Stanislaus Ūsoris,Dr.Ph.

Notarii et actuarii.

1.Presb.Miecislaus Sandanavičius,Lic.I.

2.Presb.Georgius Šimkus,Dr.T.

3.

Archivarius,presb.Petrus Veblauskas.

Parochi Consultores.

1.Praelatus Paulus Januševičius,M.T.,parochus Kaunensis ecclesiae SS.Trinitatis.

2.Canonicus Stanislaus Sarapas,parochus et decanus Šiaulensis.

3.Canon.hon.Antonius Jančauskis,parochus Tytuvėnen.et decanus Šiluven.

4.Canon.hon.Franciscus Janulaitis,parochus Betygalen.et decanus Veliuonen.

Consilium Administrationis

ad ordinandum universum bonorum ecclesiasticorum negotium.

(const.7 dec.1918).

Praeses,Ordinarius loci.

Consiliarii:1.Praelatus Casimirus-Stephanus Šaulys,M.T.

" 2.Canonicus Iosephus Byla.

" 3.Canonicus Franciscus Penkauskas,M.T.

Coetus Deputatorum

in consilium Seminarii metropolitani ad proximum sexennium.

(const.an.1931).

a)Pro Consilio disciplinae:

1.Praelatus Alexander Dambrauskas,M.T.

2.Canonicus Iosephus Byla.

b)Pro Consilio administrationis:

1.Praelatus Paulus Januševičius,M.T.

2.Canonicus Blasius Čėsnys,Dr.T.

Consilium Vigilantiae.

1.Prof.Dr.Blasius Čėsnys,

2.Dr.Iosephus Liesauskis.

3.Praelatus Alexander Dambrauskas.

4.Dr.Franciscus Kuraitis,Prof.

5.Dr.Franciscus Venckus,Doc.in Univers.

6.Canon.Franciscus Penkauskas,Doc.in Univers.

7.Canon.Stanislaus Jokūbauskis,C.T.

Censores librorum de religione tractantium.

1.Praelatus Alexander Dambrauskas,M.T.

2.Praelatus Paulus Januševičius,M.T.

3.Presbyter Marcus Morkelis,M.T.

4.Presbyter Iosephus Meškauskas,M.T.

5.Presbyter Iosephus Liesauskis,Dr.T.

6.Presbyter Stanislaus Ūsoris,Dr.Ph.

7.Canonicus Paulus Dogelis.

8.Canonicus Iosephus Byla.

9.Canonicus Stanislaus Jokūbauskis,C.T.

10.Canonicus Stanislaus Sarapas.

Examinatores pro-synodales
ad proximum decennium ad normam cann.385-390 constituti.

1.Praelatus Alexander Dambrauskas,M.T.

2.Praelatus Paulus Januševičius,M.T.

3.Praelatus Casimirus-Stephanus Šaulys,M.T.

4.Canonicus Franciscus Penkauskas,M.T.

Commissio ad ordinandas Conferentias decanales sacerdotum.

Praeses,Canonicus Blasius Čėsnys,Dr.T.

Membra:1.Canonicus Franciscus Penkauskas,M.T.

" 2.Presbyter Petrus Malakauskis,Dr.I.

" 3.Presbyter Marcus Morkelis,M.T.

" 4.Presbyter Ignatius Česaitis,Dr.T.

Commissio ad ordinandum negotium musicae ecclesiasticae.

Canonicus Iosephus Byla et Can.hon.Adolphus Sabaliauskas.

Officia.

Praeses Consilii Regionalis Consociationis Cleri pro Missionibus et Praeses Nationalis Pontificii Operis a Propagatione Fidei Illustrissimus Dominus Stanislaus Jokūbauskis,Canonicus Capituli metropol. Kaunensis.

Commissarius ad ordinandum negotium Congregationum religiosarum mulierum Pater Pius Andziulis M.I.C.

Secretarius pro negotiis studiorum academicorum Canonicus Franciscus Penkauskas,M.T.

Secretarius pro actione sociali presbyter Vincentius Mieleška.

Secretarius pro negotiis institutionis christianae et scholarum catholicarum Canonicus Stanislaus Jokūbauskis,C.T.

Secretarius pro operibus pietatis et caritatis presbyter Stanislaus Ūsoris,Dr.Ph.

Director dioecesanus Associationis Apostolatus Orationis Pater Franciscus Masilionis S.I.

Piae Unionis Cleri pro Missionibus:

Director Canonicus Iosephus Byla.

Consiliarii: Pater Ioannes Paukštys S.I., Secretarius

" Presbyter Georgius Latvėnas, Arcarius.

Moderator Pii Operis a Propagatione Fidei Pater Ioannes Paukštys S.I.

38. Vicarius Generalis est Ill.mus D.nus Casimirus-Stephanus Šaulys, Praelatus Domesticus S.S., professor iuris canonici in Facultate theologica, prudentia, sana doctrina et rerum gerendarum experientia commendatus.

Ceteri ministri Curiae sunt sacerdotes, bonis moribus, sufficienti doctrina et prudentia praediti.

39. Proventus Curiae habentur potissimum ex aerario publico. Pecunia accepta in sumulo in fine singulorum mensium traditur singulis quibus est destinata, iuxta tabellam lege civili approbatam.

Praeterea secundum vigentem immemorabilem consuetudinem percipitur aliqua praestatio pro concedendis dispensationibus a publicationibus matrimonialibus in quantitate a 5 ad 15 litorum pro casu. Ita collecta pecunia erogatur in diversas minores necessitates cancellariae archiepiscopalis et eleemosynas pauperibus.

Aliae elaemosynae vel taxae, solutae iuxta vires pro dispensationibus matrimonialibus, erogatis ab Ordinario vigore facultatum specialium, transmittuntur, mediante S.Congregatione Consistoriali, ad S.Congregationem de Sacramentis, respective ad S.Congregationem S.Officii.

C A P U T VI.

De Seminario.

41. Kaunae habetur Seminarium metropolitanum, in quo studiis philosophicis et theologicis vacant et ad sacerdotium praeparantur

alumni oriundi e dioecesibus Kaunensi, Panevėžensi et Kaišedorensi atque Ordinis Fratrum Minorum et Congregationis CC.RR.Marianorum. Numerus omnium alumnorum Seminarii nunc temporis est 222.

Totus studiorum cursus divisus in licealem seu philosophicum et theologicum durat septem annos. Ad studia licealia peragenda non admittuntur nisi ii, qui testimonium afferunt de cursu quinque classium gymnasialium in scholis publicis rite absoluto et praeterea examina concursalia ex disciplinis linguae latinae et patriae ac religionis cum successu subeunt. In hoc cursu liceali traduntur per tres annos disciplinae institutionis communis convenienter cum normis programmatis studiorum pro classibus superioribus scholarum publicarum seu gymnasialium praescripti. Multo plures tamen horae destinantur linguae latinae, catechismo et praesertim philosophiae.Cursu liceali absoluto alumni obtinent testimonium dictum maturitatis,quod exigitur ut ad studia proprie dicta theologica admitti valeant.

Cursus theologicus durat ad minus 4 annos, nam iis qui ad gradus academicos aspirant additur saltem unus annus suppletorius.Disciplinae quae in cursu theologico taduntur sunt eae quas praescribit Codex Iuris Canonici.

Nunc temporis agitur quaestio de adaptandis studiis alumnorum Seminarii metropolitani praescriptis Constitutionis Apostolicae "Deus scientiarum Dominus" et ordinationum ad hanc Constitutionem exequendam, quae sunt promulgatae a S.Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus an.1931.

a) Externam totius Seminarii disciplinam regunt:

Rector Seminarii Canonicus Franciscus Penkauskas, M.T.

Vice-Rector Canonicus Stanislaus Jokūbauskis, C.T.

Praefectus sac.Franciscus Venckus, Dr.T.

Director spiritus est sac.Ioannes Aleksa, presb.Congregationis CC.RR.Marianorum.

<u>In cursu liceali seu philosophico docent</u>:

Historiam Lituaniae, linguam latinam et linguam latinam ecclesiasticam Rectori Seminarii Can.Franciscus Penkauskas, M.T.

Propedeuticam theologicam, historiam Ecclesiae, litteras universales et scientiam status Vice-Rector Can.Stanislaus Jokūbauskis,C.T.

Paedagogicam, litteras lituanas, litteras universales et linguam graecam Sac.Markus Morkelis, M.T.

Historiam universalem, historiam Ecclesiae et linguam latinam Sac. Miecislaus Sandanavičius.

Liturgicam, scientiam naturalem, physicam, cosmographiam et regulas u urbanitatis Sac.Iosephus Meškauskas, M.T.

Philosophiam et linguam germanicam Sac.Stanislaus Ūsoris,Dr.Ph.

Algebram, geometriam et trigonometriam Sac.Franciscus Venckus,Dr.T.

Cantum ecclesiasticum Alexander Kačanauskas et Sac.Boleslaus Chomskas.

Hygienam medicus Antonius Starkus.

<u>In cursu theologico (Facultate theologica) docent</u>:

S.Scripturam Vet.Test. et linguam hebraicam tradit prof.ord. Alexander Grigaitis,Dr.T.et Lic.S.S., Protonotarius Apostolicus.

S.Scripturam Novi Test.et archaeologiam biblicam - prof.ord. Ioseph Skvireckas,Dr.T., Archiepiscopus Kaunensis.

Theologiam Dogmaticam - prof.ord.Blasius Česnys, Dr.T., Canonicus.

Theologiam Fundamentalem et Encyclopaediam theologicam - docens Sac.Franciscus Venckus, Dr.T.

Theologiam Moralem - P.Stanislaus Gruodis, S.J., Dr.T.

Theologiam Pastoralem - doc.Sac.Ignatius Česaitis, Dr.T.

Ius Canonicum - prof.ord.Casimirus-Stephanus Šaulys, M.T., Praelatus S.S., et prof.extraord.Sac.Petrus Malakauskis, Dr.Iur.

Historiam Ecclesiae - doc.Franciscus Penkauskas, M.T.,Canonicus.

Patrologiam,Homileticam et Archaeologiam christianam - doc. Sac. Marcus Morkelis, M.T.

Theologiam Asceticam, Liturgicam, artem christianam et quaestiones de Ecclesia Orientali - doc.Sac.Ioseph Meškauskas, M.T.
Cantum ecclesiasticum - Alexander Kačanauskas,prof.Conservatorii music.
Medicinam Pastoralem - doc.Antonius Gylys, Dr.med. et phil.

b) Satis amplum territorium Seminarii separatum est muro ab urbe et clausura haud difficile observari potest. Aedes Seminarii constant duabus magnis lapideis domibus, cum adiacenti ecclesia Seminarii.In his aedibus alumni habent cubicula ad habitandum, inveniuntur etiam aulae pro scholis. Dictae aedes principales, haud semel restauratae, novissime auctae sunt, adiectis duabus contignationibus, et omnibus exigentiis hygienicis iam omni ex parte respondent. Praeter has duas domos in eodem territorio inveniuntur aliae minores, una pro professoribus, aliae pro famulatu. Insuper hoc anno aedificata est ad plateam domus, in qua inhabitabit Rector Seminarii, erit locus pro cancellaria Seminarii et cubicula pro museo ecclesiastico dioecesano.

Domus rustificationis deest. Alumni fere omnes rure oriundi ferias in domibus paternis agunt.

Omnes superiores Seminarii, professores et docentes obtinent ex aerario publico pensiones, aequales illis, quae solvuntur respectivis magistris scholarum publicarum.Dantur praeterea a Gubernio Seminario quaedam subsidia pro necessitatibus oeconomicis et haud multa stipendia pro alumnis. Ipsum Seminarium possidet bona immobilia, praedium 60 ha prope Kaunam et amplam domum lapideam cum hortu, quae quotannis titulo locarii circa 14.000 lit.praebent.Huc accedunt praestationes, quae quotannis colliguntur a clero dioecesano,et dona sponte oblata a fidelibus. Cum haec omnia, demptis necessariis expensis pro sustentatione aedium, famulatus et rei oeconomicae, omnino insufficientia sint, ut omnes alumni Seminarii omnino gratis recipi et educari possint, ideo ab eis qui solvendo pares sunt exigitur a singulis pro victu

ad summum 450 lit.per annum.Quae summa tamen successive minuitur quo quis in superiore cursu est.

d) Ad meliorem Seminarii statum reddendum videtur esse necessarium sumptuum augmentum eo fine, ut maior alumnorum numerus omnino gratis recipi et educari queat et ut pietate, idoneitate et ingenio praestantes alumni in maiore quam nunc numero in Facultates theologicas aut Academias exteras mitti possint ad studia specialia continuanda et ita praeparentur novi magistri pro seminario.

42 - 43. Ut in relatione praecedenti.

44. Ordinarius curat, ut aliqui alumni pietate et ingenio praestantes in Urbe vel in universitatibus exteris rite probatis studiis vacent. Nunc temporis studiis Iuris Canonici Romae vacat sacerdos Baikauskas Ioannes. Aliquot alumni praeparantur et post feria aestivales mittentur.

C A P U T VII.

De Clero generatim.

45. Clerus opulentia non eminet, sed generatim habet quo honeste vivere possit, quamquam novissimo tempore rerum condicio peior facta est.

Alia ut in relatione praecedenti.

46 - 47. Ut in relatione praecedenti.

48. Licentia de qua in can.139, § 3, clericis iam non conceditur, causis concessionis non amplius perseverantibus.

49 - 50. Ut in relatione praecedenti.

51. Ut in relatione praecedenti.

Unus ex Clero Kaunensi habetur, qui spretis monitionibus Ordinarii scribat in ephemeridibus, quae neutrae dicuntur, quique hanc ob causam aliasque iam a divinis supensus est.

52. Ut in relatione praecedenti.

53. Tres sacerdotes, nempe Adamus Vilimas et Ioannes Gudelis, clerici archidioecesis Kaunensis, et Alexander Chelecki, advena ex dioecesi Luceoriensi in Polonia, propter attentatum matrimonium poena degradationis puniti sunt. Spes emendationis hucusque non affulget.

CAPUT VIII.

De Capitulis.

55 - 62. Ut in relatione praecedenti.

CAPUT IX.

De vicariis forensis et parochis.

63 - 76. Ut in relatione praecedenti.

CAPUT X.

De religiosis.

77. Visitatio domorum religiosarum quatenus Ordinario loci subiectae sunt per suos delegatos peragitur, orta necessitate. Pleraeque domus religiosae mulierum hoc ultimo quinquennio reformatae sunt.

78. Ut in relatione praecedenti.

Numerus religiosorum ultimo quinquennio notabiliter auctus est.

79 - 81. Ut in relatione praecedenti.

82. In archidioecesi habentur duo sacerdotes, nempe Ignatius Česaitis et Ioanne Kudirka, qui, obtento saecularizationis indulto a S.Sede, cum venia eiusdem S.Sedis officiis ipsis in archidioecesi commissis laudabiliter funguntur.

83. a), b), et c) ut in relatione praecedenti.

d) Habentur sex sorores Congregationis S.Elisabeth, quae etiam infirmis in domibus privatis assistunt et rem domesticam in Nuntiature Apostolica gerunt. Omnes eminent exemplari pietate, zelo atque omni laude dignae sunt.

C A P U T XI.

De populo fideli.

84. Populus lituanus excellit religiositate et bonis moribus, plerique vitam vere christianam privatam in familiis vivunt, at non desunt etiam ruri, qui saepius officia sua christiana neglegunt; in oppidis vero et civitatibus permixti cum iudaeis, acatholicis et indifferentibus saepius contra vitae christianae praecepta peccant.Sollemnitates ecclesiasticas populus generatim magno amore prosequitur et illis in vero pietatis spiritu assistit.

Ut christianae vitae professio aliquantulum labefactata ad pristinum rigorem reducatur, instituuntur catholicae associationes (puerorum et puellarum, iuventutis et adultorum), propagatur Actio Catholica, virtus sobrietatis et caritas christiana, divulgantur catholici libri et ephemerides, instituuntur sacrae missiones, plus attenditur ad diligentem catecheticam puerorum instructionem.

85. Fideles generatim clericos, maxime Episcopum et Summum Pontificem, omni qua par est reverentia prosequuntur.

86. Fideles circa praeceptum audiendi sacrum paulo tardiores facti nunc temporis ad meliorem sensum redacti videntur; ab operibus servilibus diebus festis omnino abstinent, abstinentiam et ieiunium ruri melius quam in urbibus servant,iuxta can.1252,1254; solliciti sunt ut baptismus infantibus tempestive conferatur.Can.770.

Can.859. Populus communionem paschalem in paroeciis ruralibus generatim suscipit, exceptis aliquando paucis tantum viris et paucissimis feminis. Etiam in oppidis rerum condicio in melius videtur mutari.Sunt tamen et inter eos qui cultiores dicuntur et inter operarios, socialismi erroribus imbutos, haud pauci (forte quarta omnium pars), qui a communione paschali se abstinent.Catholicos se esse adhuc profitentur, religionis vero dogmata suo sensu intelligunt et praeceptis Ecclesiae se subiicere detractant.

Can.863. Haud pauci sunt ex populo, iuventute catholica studiosa etiam universitaria, qui frequenter, etiam cotidie, Pane Eucharistico reficiuntur. Inter dictam iuventutem habentur sat numerosi circuli eucharistici.

Can.865 et 944. Extrema sacramenta generatim a fidelibus appetuntur studiose; adsunt tamen praesertim inter dictos cultiores, qui extremorum sacramentorum susceptionem differunt vel negligunt, rarissimi vero qui expresse recusare audent. Proportio pro centenis indicari non potest; sunt enim casus singulares.

Cadaverum crematio in tota regione non est in usu; omnes, etiam liberalismo vel indifferentismo in rebus fidei faventes, funeribus ecclesiasticis sepeliri malunt.

87. Circa <u>matrimonium</u>. Matrimonia civilia et divortia civilia inter catholicos non habentur. Concubinatus in urbibus proportionem unius pro centum non censentur efficere; in paroeciis ruralibus rarissimi.

88. Mixta matrimonia catholicorum cum protestantibus vel schismaticis aliquando occurrunt. Numerus horum matrimoniorum anno elapso fuit 87; comparatus cum numero matrimoniorum non mixtorum efficiebat 1,7 pro centum. Maiora detrimenta religionis ex mixtis matrimoniis non proveniunt. Immo pars acatholica haud raro convertitur ad fidem catholicam.

Clausulae, de quibus can.1061, stricte serventur (cfr. nr.32).

89. <u>De christiana educatione prolis</u>. ~~[illegible]~~ Parentes aut qui loco parentum sunt, etiamsi in rebus fidei indifferentes sunt, prolem more christiano secundum vigentem consuetudinem in regione educare solent.

90. <u>De scholis</u>. In scholis publicis, praesertim elementariis et mediis praescriptum can.1373 de institutione religiosa puerorum servatur. Obligationi religiosae institutionis iuventutis catholicae in scholis cautum est etiam per Concordatum Lituaniae cum Sede Apostolica.

Libertate instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales

Clerus et fideles gaudent secundum Concordatum, non autem de facto.

91. Omnes scholae elementares, exceptis tribus, sunt publicae. Catholici coadunati in associationes habent in archidoecesi sex scholas publicas, quas circa mille alumni frequentant. Hae scholae sustentantur ab ipsis catholicis, sed hucusque habebant haud parva subsidia a Gubernio, quae nunc temporis minuuntur, catholicis reclamantibus. Scholae privatae ceterum gaudent iisdem iuribus, quibus gaudent scholae publicae. Magno vitio omnibus scholis, tum publicis tum privatis, vertendum est, quod hucusque fere in omnibus, exceptis septem, permanet coeducatio, id est scholas frequentantur simul a pueris et puellis. Contra hoc malum clamant et publica auctoritas et privati catholici, ideo non deest spes tandem aliquando hoc malum sublatum iri.

Praeservationi iuventutis scholaris caveri studetur per ei proprias associationes catholicas (Angelaičiai, ateitininkai, eucharistininkai), quae proprios libellos periodicos, libros, ephemerides edendos curant., conferentias instituunt, congressus iuventutis catholicae celebrant. Associatio tamen iuventutis scholaris "ateitininkai" in scholis mediis et eius activitas nunc temporis prohibita est a Gubernio,

92. Quoad religiosas et pias laicorum associationes. In quavis paroecia adest haud parvus numerus sodalium Tertii Ordinis S.Francisci; fere omnes fideles adscripti sunt confraternitatibus SS.Rosarii, B.M.V. de Monte Carmelo, multi confraternitatibus S.Dominci, S.Cordis Jesu, Apostolatui Orationis etc.

Confraternitates SS.Sacramenti et Doctrinae Christianae erectae sunt penes omnes ecclesias paroeciales. Prior haud paucos habet sodales, crescit paulatim etiam numerus eorum qui sua nomina dant alteri.

Religioni et Ecclesiae omnes laicorum associationes sunt maximae utilitatis.

93. Omnes associationes canonice rectae servant praescripta can.690

de subiectione erga Ordinarium et can.691 de administrationis modo.

94. Inter associationes catholicas sunt etiam sat numerosae illae, quae socieles vocantur: operariorum, mulierum catholicarum, conferentiae S.Vincentii a Paulo, societates mutui subsidii, asyla pro infantibus et senibus, circuli pro iuventute. Omnes generatim directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis subsunt.

Utiles sunt Ecclesiae, quia illae constituunt organisatas vires ad diffudenda et defendenda catholica pricipia in vita privata et publica.

95. Ut in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant ii, qui hisce associationibus, sive religiosis et piis, sive socialibus, adscripti sunt, magna cura habetur. Fere omnes associationes habent assistentes ecclesiasticos.

96. Diaria obscoena et modernistica non habentur. Irreligiosa et liberalia, etiam libri huius generis, eduntur a socialistis et liberalibus et habent suos lectores. Gubernium favere videtur ephemeridibus, quae neutrae dici possunt. Ad hoc malum coercendum catholici et eorum associationes diffundunt ephemerides et libros catholicos. Difficilius est pugnare contra ephemerides neutras. Ultimis tamen annis ephemerides catholicae populares iam superant id genus neutras.

97. Massonicae sectae addicti vel massonicae tabernae in archidioecesi videntur non haberi. Suspiciones tamen non desunt.

98. Socialistarum societates habentur. Socialistae-communistae lege non admissi clam contra fidem et civilem ordinem agitare student; his absimiles sunt socialistae-democratae, qui ubique proclamant religionem esse rem privatam, exigunt ut Ecclesia a Statu separetur, ut Ecclesia suis bonis spoliaretur; quos adiuvant liberales-populares. Agitatio communistica a Gubernio rigorose supprimitur et numerus eorum in Lituania non videtur esse notabilis.

99. Exercitium iurium politicorum nunc temporis in Lituania de facto suspensum est.

C A P U T XII.

Iudicium sintheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. Omnibus in universum complexis, dioecesis condicio materialis et moralis ultimis annis non multum est immutata. Regressus videtur non haberi, sed potius progressus. Iuventutis catholicae imbutae principiis vere catholicis, firmae in fide, addictissimae Ecclesiae numerus crescit. Simili modo augetur etiam numerus bene excultorum ducum catholicorum. Catholici in suis associationibus, in actione catholica discunt et ipsi magis catholice sentire et vivere et aliis exemplo esse. Cleri dioecesis numerus continuo crescit et nunc temporis iam est fere sufficiens; ita in locum debilitatarum succedunt novae vires, rerum et temporum circumstantiis adaptatae. Religiosi viri et mulieres iam non parvo sunt adiumento Clero saeculari. Ita adesse videtur possibilitas incumbendi in profundiorem educationem religiosam iuventutis ab ipsa infantia incipiendo. Principiis catholicis imbuta et in fide firmata iuventus solidum esse poterit fundamentum, Deo Omnipotente adiuvante et Beatissima Virgine protegente, futurae regenerationis totius populi.

K a u n a s, die 2 mensis decembris 1933 anni. - Nr. 3199.

(sig.) Joseph Skvireckas,

Archiepiscopus et Metropolita Kaunensis,
Solio Pontificio Adsistens.

Dr. St. Usoris
Secretarius.